

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0208

0206

0212

0202

0217

0197

0257

0157

0307

0107

0707

Ende

Anfang

196

cum legam sanctos fecisse. Nam 4. Reg. V. legimus, quod Naaman Syrus petivit ab Helizaeo propheta, ut liceret sibi tantum de terra sancta tollere, quantum duo asini vel burdones possent portare, ut duceret eam in terram suam et de lapidibus illic altare strueret, in quo sacrificia Domino coeli offerret. Si ergo ille tantum terram illam aspiciebat propter templum in ea constructum et prophetas in ea habitantes et propter miracula in ea facta, quanto magis aspicienda est a nobis propter praedicta et propter Christi pretiosissima vestigia et beatissimae Mariae Virginis ac apostolorum et martyrum, et propter inestimabilem sanguinem Christi in ea effusum, crucem et sepulchrum, quam sic gloria suae clarissimae resurrectionis illustravit et igne Spiritus sancti lustravit. Nullo ergo modo, nulla ratione, nullo pacto sunt particulae et petrarum petiae de illa illustrissima terra assumtae, spernendae aut abiciendae, sed cum veneratione magna colligendae, et inter praecipuas reliquias ecclesiarum collocandae; et non solum ipsa terra et lapilli vel petrarum petiae, sed etiam grana et Paternoster, et annuli et signa Paternostrorum applicata locis sanctis sunt quodommodo sanctificata, ideo venerabiliora et pretiosiora, sicut patet fol. 36. A. Nec solum nos Christiani de occidente hoc facimus, sed orientales Christiani de altissimis orientis partibus lapillos de illis terris colligunt et eos quasi usque ad paradisi portas ducunt pro observantissimis reliquiis. Et quod amplius mirabile est, audivi et legi, quod orientales Christiani peregrinantur Romam et de ecclesiis sancti Petri et Pauli lapillos executiunt et pro reliquiis usque ad oceanum orientalem ducunt. Nonnulli etiam Alpes transgrediuntur et per Rhenum in Coloniam Agrippinam descendunt, ut ecclesiam et sepulchrum trium regum, suorum compatriotarum, videant, et de eadem ecclesia et sepulchris regum lapillos sibi dari procurant, vel accipiunt si possunt, quos postea, quando ad partes suas revenerint, auro et argento includunt et lapidibus pretiosissimis adjungunt, et in annulis et flosculis digitis apponunt et ad colla suspendunt. Annulos autem et jocalia vel clenodia applicata sepulchris regum trium venerabiliter custodiunt tamquam magnas reliquias, et illos peregrinos, qui de oriente in Coloniam evagati sunt, miro modo, dum revenerint,

